

conuerti uoluerunt ab omni
recte sua. Habent cer
uisti & sei in medicina
te praesentant. ut nihil
fuis meritis tribuan
re depurantes. de his in
timeliter uicae estantia
nullis qd de talibus a r
im sui de uirtute inur
doloru in sicut nihil
numo de est in sca script
alio necessarii si quis
eq sicut qd nomum
tut. Tu aut neglexe
im alius in nulla sua.
omne sua; Omnia

tanti ad sustentatione huius pre
sentis primum uicae: qd e mundi
delectatio quae anima si parat qd po
ndic dicitur. At illi nec dixerit. & abierit
aluis in nulla sua alius ad negotiatio
ne sua; In nulla te e. In terrene
inmoderate inuincere. In negotia
tione uero te e. ad honori uero tenui
lupum lucis in hiate; Quia enim
aluis in tentus labor terrene. aluis
uero mundi huius ad honore; de huius
mysteria incarnationis dominicae
pensare & scdm illu uiuere diffimu
lat quasi actuali uel negotium p
gens. uenire ad regis in ptaf recusat
I. Plerumq; quod e gratia in nulli
uocant in am mouit. pium
fai enim fecerit. Vnde et in huius
fai enim fecerit. Vnde et in huius

Continetur hoc Volumini
DUNCAN LIDDELL SCOTT

Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus & Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In III. Meteororum de Nisi generatione Disp. I.

In III. Meteororum de Concoctione Disp. II.

Dissp. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Causis Morborum in gre.

V.

VI.

IIIX.

Dissp. posterior de Praesagijs

de Peste diss. prior.

De Natura & Facultatib. medicamentorum.

De Compositione & Preparacione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione &

de Febris Natura & disp. I.

de Febris II.

de Febris III.

De Medicina ejusq. partibus.

Disp. Physiologicarum I. De Elementis.

II. De Temperamentis.

III. De Anima, ejusq. facultatib. in gñe.

IV. De Natura & differentijs partium Sumar. corp.

V. De Calido innato & Spiritibus.

VI. De Naturalib. facultatib. in gñe etc.

VII. De Humoribus.

VIII. De Generatione Hominis.

IX. De Animalij facultate etc.

X. De Sensibus interiorib. etc.

De Apoplexiâ.

De Paralyssi.

Dictata

In Ponsa. Melâ tres libb. de sito Orbis.

ADAM LUCHTEN II.

Disp. de Catarbo.

Physica, de Principijs naturalium rerum.

De Origine fontium.

De Facultate Medicamentorum purgantium.

De Apoplexia.

De Mixtione.

De Hydrope.

De Phtisi.

De Melancholiâ.

P I E A U E H L B . N I O 9 4 D

FRANCISCI PARCORSII

- De Memoria longa disp.
- De Epilepsia.

CASPARI PARCORSII

- De Natura Hominis.
- De Cataracta.

JACOBI HORSTII.

- De modo Generationis Morborum.

JOHANNIS BOERLEII.

- De Somno.
- De Variolis.

JOHANNIS SIGFRIDI.

- Disp. Anat. De partibus Humani corporis similibus.
- De Corde.

Disp. de G're Aromatum, quae Radices sunt.

DISSP. VARIAE VARIORUM.

- De Pleuritide, M. Anton. Matholdi, M. Hermari Cunerdingi
et M. Casp. Arnoldi.
- De Phthisi, M. Christiani Hasd'ij.
- De Melancholia M. David Tinxy.
- De Purgatione Tobia Somckely.
- De Phrenitide Sigismundi Martiaj.
- De Variolis et Morbillis Frid. Wagneri.
- De Solonib. Arthritico Christoph. Nyly.
- De Utero flavo Valent. Emerij.
- De Apoplexia Jul. Jan. Bokely, Joas. Keincke et Jo. à Petkam.
- De Podagra, Jona' Deford, M. Pauli Reinaldi, Conrad. Schallenberg.
- De Cadonibus David Cufely.
- De Febre Maligna Erasmi Smid.



16.

DISPUTATIO MEDICA
DE
ARTHRITIDE.

Quam

D. F. E. A. C.

PRAESIDE

DUNCANO LIDDELIO SCOTO

Phil. & Med. D.

ac

in Illustri Iulia professore publico,

in Auditorio maiori,

publicè rueri conabitur

HENRICVS MYLPHORT

Vratislaviens. Sil.

ad XXVII. Maij. hora 6.



HELMAESTADII,

Ex officina Typographica Iacobi Lucij.

Anno CIC. MD. CL.

MAGNIFICO,

Splendore Generis,

Heroica virtute,

NOBILISS. ET AMPLISS. VIRO

DN.

IOANNI MYLLNER

A MULLHAVSEN,

Sa. Cæ. Mai.

à SECRETIS

IN CONSILIO REGNI BOHEMIAE,

Domino & Mæcenati meo

perpetua fide ac benevolentia colendiß. S.



Eroum fate progenie, quem Cælaris Aura

Vsq; fouet, Virtus cui Generosa fauet:

Qui Famam anteuenis benè Factis, Nomine Ho-

Consilio Euentus, Dexteritate Fidè: (nores,

Cui Pallas curæ, qui me complecteris vsq;,

Nestoreos dignus connumerare dies:

Accipe, parua, lubens, quæ, non, *χάρις*, immemor vnquam

Accepti, ac quædam dona referre iubet.

Quodq; facis, porrò complecti perge Clientem,

Mœcenas, animo perpetuande meo.

Nec Benefacta meo labentur pectore, nec TV,

Labère ex animo, MAGNE PATRONE, meo.

MAG. T.

addictiß.

Henricus Mylphort

Respond.



DE ARTHRITIDE.

THESIS I.

Dolor non solum sauisimis symptomatibus annumeratur: sed etiam plurimas humani corporis partes infestare solet. Infestat autem partes omnes sensu praeclatas, & non minus artus, partesque exteriores, quam interiores varijs & diuersis morbis. Nam si artus respicias, plerumque dolor ipsos articulos, seu illam ossium compagem, quae motui voluntario seruit, occupat: qui à parte laesa Arthritis communi nomine vocatur. Aliquando intermedias artuum regiones tantum infestat, quod plerumque laborantibus morbo Gallico accidit: sed Arthritis non est, nec dici solet.

2. Communiter quidem dolor, qui articulum unum aut plures infestat, Arthritis dici solet: verum à Medicis dolor, qui plures, plerosque aut omnes articulos inuadit, proprio speciali que nomine Arthritis tantum vocatur. Qui vero unum aliquem determinatum articulum affligit, ab illa parte plerumque denominatur. Nam dolor qui articulos manuum, chiragram; qui articulos pedum, podagram; qui coxendicis, Ischiada; qui genuum, Gonagram nominant. Huc referuntur grauisimi homoplatae & humeri dolores, item dorsi aliorumque articulorum. Haec omnes affectiones, teste Gal. unius & eiusdem generis sunt, ac similem ferè curationem postulant. Proinde de Arthritide, sub communi appellatione, nimirum de dolore articulorum siue unum aliquem, siue plures occupet articulos, nunc dicemus.

3. Ac primum, non omnis articulorum dolor, sine discrimine Arthritis dici meretur: sed is solum, qui ab interna causa ortum habet, scilicet à materia coaceruata ligamenta distendente, & partes articulorum nervosas comprimente: & non qui à nuda intemperie pro-

priè oritur: ut restatur Gal. com. in aph. 16. lib. 3. nec dolor, qui ab externa causa nimirum ic̄tu, lapsu & similibus immediatè provenit.

Definitio 4. Proinde definiri poterit Arthritis, dolor articularum, ortus à Arthritidis. continui solutione ex materia influente, ligamenta distendente & partes articularum nervosas comprimente.

5. Pars affecta articulus dicitur, quæ nihil aliud est, ut diximus, quàm compositio ossium, à natura comparata propter motum voluntarium. Ad talem compositionem non solum requiruntur ipsa ossa, quæ dearticulantur; item cartilaginee, quæ ossa muniunt, ne motu conterantur; & ligamenta, quæ continent & stabiliunt, ne è sedibus suis dilabantur; ac membrana: sed etiam musculorum tendines, quibus ossa mouentur: item nervi, vena, arteria; ac tandem cutis, quæ dearticulationem tegit. Propriè verò pars affecta non est totus articulus, nec omnes articuli partes, licet articulo dolor tribuatur. Nam ipsa ossa, ligamenta, & cartilaginee omni sensu & proinde dolore propriè carent: nervosa autem sensuq; tantum prædita sunt in articulis potissimum musculorum tendines & membrana, quibus adduntur nervi & cutis. Igitur in Arthritide pars affecta, quæ propriè dolet, erunt musculorum tendines, membrana & nervi, aliquando ipsa cutis: sed ex consensu potissimum.

Morbus. 6. Affectus siue morbus unde oritur dolor omnis, teste Gal. est intemperies & continui solutio. Verùm, ut suprà dictum est, à nuda intemperie propriè Arthritis non oritur, sed ab intemperie cum materia. Unde Gal. morbum Arthriticum inter affectus inflammatorios recenset. Oritur autem à materia, quatenus continuum dissolvit, partesq; sensiles comprimit & alterat. Nam materia duplici modo dolorem in articulis excitare solet; uno, quod multitudine sua partes sensiles distendat, aut comprimat: alio quod qualitate mordaci, acri & aliena alterat, erodat, pungat, laceret &c.

7. Coaceruatur quidem materia Arthritidis autore Gal. in cavitate articularum. Verùm rarò inter ipsa ossium extrema: potissimum inter ligamenta, quæ ossium extrema connectunt, item inter
tendines



tendines & membranas. Nam dum materia in fluxu suo ipsa ligamenta replet & distendit, tendines, membrana & nerui comprimuntur aut à ceteris partibus diuelluntur, aliquando acri & aliena qualitate afficiuntur: tum dolor semper vehemens excitatur, & simul non raro ipse motus impeditur: aliquando ipsa ossa à suis sedibus dilabuntur, luxatioq; à mucosis humoribus superuenientibus consequitur.

8. Suscipiunt materiam primùm ipsa de articulationis loca, deinde omnia ad cutim usq; circumstantia: verùm replentur & distenduntur potissimum ligamenta, & simul, teste Aëtio permadescunt. Non autem nerui & tendines, quæ propriè non replentur, sed ad distensionem aliorum contenduntur, aut verius comprimuntur, vel à vicinis partibus diuelluntur. Nam si nerui tendinesq; replerentur: necesse erit arthriticos conuelli & in internodijs dolorem vehementem sentire, cuius contrarium euenit.

9. Causa efficiens, teste Galeno, com 25. Aph. lib. 6. duplex est: Causæ Arthritidis.
vna articulorum imbecillitas, altera materia continuum soluens: utraq; enim in Arthritide requiritur, & altera sine altera efficax non est. Nam ubi adest imbecillitas, non necesse est Arthritidem oriri, si aeger in victus ratione nihil deliquerit, nec superfluam materiam coaceruauerit. Deinde nisi adsit articulorum imbecillitas, materiam inutilem nunquam coaceruaret, nec fluxionem reciperet. Nam partes robustæ à se naturaliter, quod inutile est, expellunt. Contrahitur autem illa imbecillitas aliquando ex semine à parentibus, aliquando à causis aduentitijs, ut infra dicimus.

10. Materia autem proxima Arthritidis causa, interdum est flatus, plerunq; humor superfluus & excrementitius, sanguineus, pituitosus, biliosus aut melancholicus, raro purus: potissimum verò pituitosus, deinde sanguineus, tertio biliosus. Sub pituitoso comprehendimus serosum. Nam pituita aut tenuis, id est, humor serosus, aut ad serosum proximè accedens, aut crassa aut viscida. Verùm viscida crassi q; humores, siue sanguis, pituita, siue melancholia, ut Arthritidem



tidem gignant, vehiculo semper indigent, nimirum tenuibus, biliosis aut serosis humoribus, ut crassa fluant & per loca angusta moueantur, & de articulationem repleant. Crassus autem viscidusq; humor in articulis diu contentus, resolutis partibus tenuioribus a valide discutientibus; aut congelatis ab assiduo usu refrigerantium in tophum aut callum concrescit. Vnde motus articularum aboletur aut impeditur. Igitur nec sincerus humor melancholicus, nec alius ullus crassus per se Arthritidem producit.

11. Colligitur materia superflua in parte aliqua duobus modis, per congestionem aut influxionem. Per congestionem autem quando in parte affecta gignitur materia superflua ob imbecillitatem facultatis concoctricis aut expultricis non valentis suum alimentum concoquere & excrementum expellere. Per influxionem vero, quando aliunde materiam inutilem suscipit. Verum arthritis, quia sensim non oritur, sed confertim a materiae copia, per influxionem potissimum fieri dicitur: licet per congestionem aliquid materiae redundare soleat, unde dolor excitatur, qualis dolor periostij sine tumore laborantibus morbo Gallico accidit, qui ut diximus, proprie arthritis non est. Proinde Gal. arthritidis causam statuit articularum imbecillitatem, & influxum materiae.

12. Considerantur autem in affluxu materiae, sicut in omni motu quatuor: primo id quod influit siue mouetur, nimirum materia aut humor superfluus: secundo pars mandans siue transmittens, a qua materia fluere incipit: tertio pars recipiens, ad quam fluit & ubi quiescit: tandem spacium per quod fluit, nimirum partes intermedia inter mandantem & recipientem. Praecipuae autem fluxionis causa statuuntur in parte mandante & recipiente. Nam materia per se non mouetur, sed ab alio primo concitata: promptius vero & facilius mouetur, si tenuis & viae patentes directa & procliuēs.

13. Concitatur autem materia dupliciter, vel a membro mandante, ubi continetur per expulsionem, vel a membro recipiente ad quod mouetur per attractionem. Nam primum partes omnes facultate

tate sua excretrice, id quod nocuum est, id est, qualitate sua irritat, aut quantitate grauat, à se aut extrà corpus propellit, aut ad partes debiles: debiles vicissim ad debiliores, donec ad partem talem decumbat, qua vim expultricem ceteris omnibus imbecilliozem habeat, ac ex se excrementum propellere nequeat. Proinde in corpore hoc modo disposito idem euenit quod in Rebuspub. in quibus, quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui, aut quod in illa mala Reipub. forma, quam Aristot. ὀλιγαρχία vocat, in qua potentiores minus potentes opprimunt.

14. Deinde à membro recipiente fluxio concitatur, quatenus humorem excrementicium attrahit. Attrahit autem potissimū ratione caloris non naturalis, deinde ratione doloris, sed non immediatè, verum quia dolor vicinas partes commouet, ut spiritum cum sanguine, tanquam auxiliares copias ad partem dolentem transmittant. His modis concitatur fluxus.

15. In arthritide pars affecta, nimirum articuli, fluxionem suscipiunt, ratione imbecillitatis. Mouet verò fluxionem primò & potissimum pars mandans, qua excrementa expellit & ad articulos deponit. Iuuant verò motum illum materia calor non naturalis & dolor articulorum. Contrahitur autem illa imbellicitas articulorum non rarò contagione seminaria à parentibus arthriticis. Nam arthritici plerumq; arthriticos gignunt: aliquando imbecillitas ascititia est, ab intemperie aliqua non naturali, à laxitate & raritate articulorum &c. contracta à Venere & vino potissimum, à crapula & consuetudine fluxionis & similibus. Præterea articuli ad suscipiendam fluxionem omnium penè partium aptissimi videntur. Primò, quia exangues & debili calore præditi, ac longe à fonte caloris natiui: Secundo, quia propter motum laxi: proinde articuli, qui pluribus motuum differentijs mouentur, ut qui per ἐναρθερωσις componuntur, & rotundo capite donati sunt, hoc malo magis corripuntur.

16. Superflua materia, fluxionem excitans, gignitur ex praua vitio ratione, à praua viscerum cæterarumq; partium dispositione, non
rite



rite concoquente suum alimentum; accumulatur verò & redundat copiosè in corpore, suppressa consueta euacuatione, & debilitata facultate expultrice, ut latius de causis infra dicemus. Colligitur quidem primum in parte mandante materia per congestionem vel transmissionem. Verùm ubi molesta esse cœperit, copia aut qualitate, vi & robore facultatis expultricis expellitur ad partes imbecilliores, donec ad articulos deponatur. Irritant & commouent causæ calfacientes & colliquantes: ut aër calidus, motus immodicus, Venus &c. Item causæ refrigerantes & comprimentes. Fluxionem accelerant & augent materie tenuitas, viarum amplitudo, &c.

17. Ex his apparet arthritidem ex numero illorum affectuum esse, qui exacerbationes & remissiones habent, certisq; periodis redeunt. Nam ubi materia collecta in parte mandante, fluere incipit, exacerbatio dolorq; excitatur: cessante verò influxu & discussa materia collecta in articulis, tam diu remissiones habet, donec noua materia gignatur, nouusq; affluxus recurrat.

18. Verùm non solum de materia, sed etiam de parte mandante & vijs per quas fluit ad articulos, non consentiunt Medici. Opinantur enim veteres pleriq; materiam pituitosum aut serosum humorem tantùm non esse; deinde à compluribus partibus profluere: Tertio à fonte ad articulos deduci per venas & arterias, per continuitatem siue superficiem neruorum, spinalis medullæ, & musculorum, item per spacium inter cutem & carnem.

19. Fernelius verò arbitratur materiam illam tantum pituitosum serosumq; humorem esse. Deinde fontem & scaturiginem ipsius pericranium aut partes capitis exteriores ad occipitium potissimum, quo pertingunt multe propagines iugularium, quæ sua excrementa pituitosa & serosa ibi deponunt, detenta à cute crassiore: coaceruati autem humoris signa esse, tumorem œdematosum cuti subiectum ad occipitium potissimum, dolorem exterius, qui contactu & inuersis capillis exacuitur, capitis grauitatem &c. Tertio materiam illam sub cute coaceruatam, data occasione, de sua sede, non per venas & arterias,

arias, non per continuitatem neruorum & musculorum, sed solum per spacium inter cutim & carnem deorsum ad articulos decurrere, ac tandem in articulis subsistere, & recipi non in inania articulo- rum spacia, sed in ipsa ligamenta, membranas & tendines.

20. Verum uti supra diximus, causa huius mali non est tantum pituitosus serosusue humor, sed etiam sanguineus & biliosus inter- dum. Nam calor, rubor, febris, aliaq; symptomata, que Arthritidem plerunq; consequuntur, precipue in iuuenibus, victu calidiore vien- tibus, astate media, pituitoso humori adscribi nequeunt, nec a sola di- stentione partium prouenire possunt: alioqui eadem in oedemate cate- risq; tumoribus ortis a pituitoso humore plerunq; euenirent. Prater- ea si eadem esset materia omnis Arthritidis, eadem quoq; essent symptomata, ac eadem quoq; remedia omnibus conuenirent, quod cum experientia manifeste pugnat.

21. Deinde pars mandans non semper & immediatè est pericra- nium, nec via siue spacium illud inter cutim & carnem, sed pars transmittens plerunq; est ipsum caput, secundum partes non exte- riores modo, sed etiam interiores. Nam non raro excrementa ipsius cerebri per superficiem neruorum, spinalis medulla & musculorum, per venas & arterias similesq; vias non aliter ferè in articulos de- cumbunt, quam in alias partes subiectas, nimirum in faciei, oris, faucium & pectoris.

22. Aliquando pars mandans est Iecur, interdum Venter, Vterus, Lien, omnia viscera, totum corpus. Nam non semper articulares dolores precedunt, grauitas capitis, tumor, dolor ad occipitium, sed interdum data occasione repente sine ullis talibus signis, dolor ma- nus, pedes aut dorsum inuadit, materia a venis ad articulos demissa, quibus vena sectio saepe profuit. Deinde in paroxysmo arthritico o- mnes penè partes sua excrementa ad articulos transmittunt: & ex dysenteria aut diarrhaa intempestiue suppressa saepe arthritidis orta fuit, ac teste Gal. in 6. Epid. s. 4. ex colica arthritidis aliquando fit, conuerso humoris impetu a colo intestino per venas ad articulos.

B

Prate-



Præterea suppressis mensibus in mulieribus & hæmorrhoidibus in viris arthritidis accidere solet. Item nephritidem interdum consequitur, pituita à renibus ad articulos translata, unde cognati affectus putantur.

23. Tandem materia in ambitu corporis collecta sub cute, ob suppressam insensilem euacuationem, & cohibitos sudores aliquando ad articulos decumbit. Item in corpore plethorico, ubi consueta euacuatione suppressa est, vena sectio sæpè profuit, quod non accideret nisi materia ad articulos per venas influeret: Confluere autem per venas arguit modum generationis. Nam initio antequam dolor insignis percipiatur, animaduertimus venas articulis proximas tumidiores, rubicundioresq; fieri: deinde dolorem augeri, sed tum maximè cum in externis nullus aut exiguus calor, ruborq; apparet: mitescere verò dolores, cum extrema partes intumescunt. Quod si propagines iugularium sua excrementa ad pericranium deponere queant, consentaneum erit, cæteras quoq; venas ad vicinas partes & articulos sua excrementa transmittere idè arguunt febres, quæ per arthritidem solvuntur.

24. Igitur materia, in omni arthritide à pericranio per spacium inter cutem & carnem necessariò non defluit. Nihilominus ipsa experientia demonstrat, partem transmittentem præcipuam cerebrum esse, à quo pituitosus serosusq; humor potissimum, in articulos defluit; rarissimè ab alijs partibus sine ullo defluxu à cerebro, sed cæteras partes cerebro plerunq; consentire, item à cerebro materiam excrementitiam, per pericranium, ceruicem & spacium inter cutem & carnem magna ex parte ad articulos decurrere.

Causæ materiam gignentes & coaccruantes.

25. Causæ materiam illam in corpore gignentes & accumulantes alia externe euidentesq; sunt, alia interna. Externe autem causa quæ arthritidem frequentèr præcedunt, sunt inordinata vitæ ratio, crapula, repletio, suppressio euacuationis consueta, Veneris & vini immoderatus vsus, quæ duo omnium articulorum, omniumq; nervosarum partium vim potissimum eneruant. Quare Poëta podagram, Veneris & Bacchi filiam esse finxerunt. Lædit autem Veneris vsus immoderatus potissimum post crapulam, vini verò ieiunio sto-

no stomacho. His adduntur otium, vita desidiosa & delicata: unde arthritidis $\mu\iota\sigma\theta\eta\omega\chi$ Θ , id est, odio habens pauperes, dicitur. Præterea vehemens motus & balnea dulcia, à cibo potissimum, creber equitatus, luxationes, contorsiones & ictus articularum, insueti frigidorum potio, & noxiorum ciborum, ut leguminum, pomorum, fructuum horariorum & similium usus, vigilia, mærores, somnus meridians immoderatus, occursum aeris intemperati &c.

26. Internæ autem causæ sunt articularum & capitis, deinde iecoris & ventriculi aliorumque viscerum debilitas: capitis autem & ventriculi à frigida & humida intemperie, unde copia pituitosorum humorum: Iecoris verò à calida intemperie, unde calidi, sanguinei, biliosi que humores. Nam biliosa arthritides magna ex parte ab hepate calidiore ortum ducunt, aut à suppressione consuetæ euacuationis bilis & calidorum humorum: Ab his cacochymia & plethora: unde Arthritis generatur & fouetur.

27. Differentiæ Arthritidis sumuntur potissimum à doloris proprietate, à parte dolente siue affecta, & ab ipsa causa. Dolor autem alius vehemens, alius remissus, alius mediocris est: item alius contundens, grauans, pulsans &c. Verum præcipuæ differentiæ arthritidis sumuntur à parte affecta aut à causa. Nam primò si partes affectas respicias, alia est plurium aut omnium penè articularum, quæ speciali nomine arthritidis dicitur: alia in vno potissimum, unde denominationem plerumque sumit, ut Chiragra, Ischias, Gona-gra, podagra. Ratione verò causæ alia hæreditaria erit, alia ascitiua. Item alia pituitosa, alia sanguinea, alia biliosa, alia ex mixtis humoribus & aliquando melancholia, interdum cum flatibus.

28. Pars affecta ex dolore potissimum, dignoscitur, licet nunc Signa maior, nunc minor sit: semper autem cum mouentur articuli maxime dolent. Verum podagra quæ malleolum & $\omega\epsilon\delta\iota\kappa\upsilon$, præcipuè verò pollicis articulum inuadit; tumorem cum dolore pulsante habet, non raro cum rubore & calore ob venas complures ibi in cutem dispersas. Similiter & Chiragra, quæ carpum & digitorum articu-



los occupat. At Ischiadicus omnium pertinacissimus, raro tumorem conspicuum habet, rarius calorem & ruborem: similiter & immanis ille dolor homoplatae & humeri: quod summa cutis ibi venis conspersa non sit: At gonagra & arthritis, quae cubitos inuadit vehementem dolorem habet, sed cum exiguo calore & rubore.

29. Plerumque autem ut testatur Aëtius à pedibus incipit Arthritis, hinc ad genua, ad coxam, & femoris iuncturas progreditur, post ad articulos manuum & humeri, tandem ad vertebrarum & maxilla progreditur. Verum id semper non accidit. Nam saepe Ischias aut chiragra, ijs contingit, qui nunquam podagra laborarunt.

30. Occupat quidem Ischias eum articulum, ubi os femoris in coxendicem inseritur: verum ipse dolor in coxendice non haeret: sed etiam longius exporrigitur, quocumque nimirum à coxendice nervus pertingit: unde dolor Ischiadicus à coxendice, natibus, & inguinibus ad femur, genu & extremum pedem aliquando sese extendit. Interdum vero in inguine dolor figitur, qui urinae difficultatem inducit. Nonnunquam totum crus equaliter afficitur. Non raro accidit, ut sublato prope omni dolore ipsius coxendicis, circa poplitem ac iuxta talum haereat affluxio, ut testatur Aëtius. Orditur autem hoc malum aliquando ab ipsa coxendice, non raro à lumborum & vicinorum musculorum dolore, ac ab illo dolore lumborum facile discernitur, qui mulieribus ex consensu uteri plerumque accidere solet.

Signa materiae peccantis.

31. Differentiae vero Arthritidis sumta à materia seu humore peccante, facile deprehenduntur. Primo ex signis antecedentibus quae causa rationem habent: ut sunt, aetas, sexus, temperamentum, regio, vita genus, exercitatio, consuetudo, victus ratio, suppressa consuetudo euacuatio, &c. Deinde ex ijs signis, quae effectus rationem habent, ut sunt color, calor, doloris proprietas, exacerbationes, caeteraque accidentia in corpore. Tertio ex iuuantibus & laedentibus.

32. Nam ubi Arthritis ex pituita redundantia oritur, praecedere solent aetas senilis, aut temperatura totius corporis, potissimum vero ventriculi & cerebri frigida, vita ociosa, victus ratio frigida, balnea-



balneationes à cibo, crapula, libidines, consueta euacuationis pituita per os & nares suppressio &c. Sape enim qui catarrhis obnoxij sunt, his doloribus vexantur, si intercipientur alia omnes consueta via. Concomitantur verò redundantiam pituita dolor mediocris aut levis, nisi adsit pituita salsa, color subalbidus, tumor mollis, laxus, nisi in gypseam pituita degenerare cœperit, exacerbationes quotidie. Præterea nocent medicamenta frigida, iuuant calida. Aliquando cum humore pituitoso flatus redundant, qui quidem dolorem satis vehementem cum tensione excitare solent, sed dignoscuntur, quod locum facile immutent, facileq; idoneis remedijs discutiantur.

33. Eadem ratione ex similibus signis dignoscitur an arthritidis sit ex redundantia sanguinis, bilis, aut mixtorum aliorum humorum. Nam, ut signa illa omittamus, quæ antecedunt, causaq; rationem habent, sanguinis redundantiam demonstrant, dolor pulsatorius & vehemens, color rubens cum euidenti tumore, item exacerbatio à medicamentis calidis, mitigatio à frigidis. At biliosum humorem arguunt dolor vehemens cum ingenti ardore, color subrubens aut pallidus, flauo permixtus, nullus euidens tumor, mitigatio à frigidis, irritatio à calidis, exacerbationes maiores tertio die.

34. Plerumq; fluxus ex pluribus humoribus constat, ut dictum est, & proinde cognitu curatuq; difficilior est: nihilominus ex signis iam expositis non difficile erit materiam dignoscere, præcipue verò humores prædominantes in illa mixtione: verum humor Melancholicus rarissimè dominatur; at tamen si redundarit in corpore præter alia signa, aderunt dolor articulorum profundus, acutus tumor euidenti-
or, color ad nigredinem inclinans cum exiguo aut nullo calore, exacerbatio quarto die. &c.

35. Nulla arthritidis per se lethalis est, nisi ex accidente ratione doloris vires omnes prosternentis aut quod materia maligna per crisis ad articulos transmissa ad interiora repellatur & recurrat. Licet autem per se lethalis non sit: tamen non ita facile curatur: Et qui semel atq; iterum arthritide corripiuntur raro ab ea plane immu-
nes

Prognostica.



nes purantur, sed saepe collecta post aliquos menses materia, noui dolores recrudescunt. Verum arthritidem patientes post primam accessionem, si rectè tractentur & nihil in victus ratione delinquant, ab ea non raro praeseruantur, praesertim iuuenes. Podagra vero senes ad mortem comitari solet. Similiter & arthritidis si radices egerit.

36. Dolores arthritici vere & autumno magna ex parte mouentur, & circuitus habent. Magnam vim quoque habet usus Veneris: & pueri, teste Hipp. sect. 6. aph. 30. ante usum Veneris arthritide non corripuntur. Quod si aliquando corripiantur: magnam debilitatem partium & plenitudinem designat, vitaeque breuitatem plerumque minatur, quia ea aetate omnes actiones naturales firmissimae esse debent. Mulieres secundum Hipp. sect. 6. aph. 29. hoc malo non laborant, nisi menstrua defecerint: attamen hoc nostro tempore ob intemperantiam non pauca podagra infestantur.

37. Arthritidis hereditaria maxima ex parte insanabilis, ascitica plerumque curabilis, nisi verustate fuerit nodosa. Longiori aut breuiori tempore curatur pro qualitate, quantitate materiae peccantis, aut pro ut magis aut minus impacta est, pro robore & imbecillitate naturae, item pro articuli differentia & situ. Nam materia tenuis (ut flatus, humor serosus, biliosus) quantitate pauca, non ita valide impacta, à validioribus viribus, breuiori tempore superatur. Contrà materia crassa, frigida, copiosa, valide impacta, à viribus debilio-ribus tempore longissimo &c.

38. Terminum autem longissimum posuit Hipp. 40. dierum, si nihil delinquatur, licet intra dies 14. nonnulli curentur: attamen si, discussa parte materia tenuiori, reliquum in gypseam naturam conuertatur, aut in rothum concrescar, longo tempore aut nunquam sanantur, praecipue senes debilitati longa consuetudine fluxionis.

39. Ischiadicus dolor vehementissimus ab internis medicamentis, clysteribus nimirum, alijsque purgantibus facilius curatur, quia purgantium vis ad coxae articulos facilius deducitur, maxime si ex materia tenui sit, unde dysenteria coxendicum dolorem, teste Hipp. 5. Epid.



*Epid. corrigi. Si ex sanguinis redundantia, sæpè sectis venis circa ta-
los aut poplitem citissimè curatur: attamen non rarò ob partis affe-
ctæ imbecillitatem & situm ac materiae resistentiam crassissem &
visciditatem omnium pertinacissimus & curatu difficilissimus puta-
tur. Nam interdum materia adeò rebellis est, ut nec dissolui nec e-
uocari queat: aliquando à mucoribus superuenientibus ligamenta re-
laxantur, & coxa à sua cavitate decidit, tandemq; crus contabescit,
nisi, teste Hipp. sect. 6. aph. 60. urantur, & urendo mucus exsicce-
tur.*

40. *Cum Arthritis ex numero eorum affectuum sit, qui certis pe-
riodis mouentur, & exacerbationes remissionesq; plerunq; habent: Curatio
duplex erit medicinae munus: primum in paroxysmo morbum præ-
sentem tollere siue curare: alterum tempore remissionis in ijs, qui
per periodos doloribus obnoxij sunt, præseruare, id est, à repetitione
doloris aut planè immunes reddere, aut ut rarius minusq; affician-
tur, tandemq; si fieri queat, planè liberentur, operam dare.*

41. *Indicationes autem curatiuæ sunt: dolorem dum urget miti-
gare, materiam, causam doloris, si in fluxu ad articulos sit, reuellere,
deriuare, euacuare, interciperè & à parte affecta repellere: Sin im-
pacta sit, dissoluere, discutere & causas omnes gignentes & coacer-
uantes materiam tollere. Verùm cum dolor symptoma sit, à quo præ-
cipua indicationes curatiuæ non sumuntur, sed ab ipso morbo eiusq;
caussa: deinde morbus, cum perpetuò foueatur, aut continuam gene-
rationem habeat, tolli nequeat, nisi sublata causa: proinde in arti-
culorum doloribus legitima methodo curandis primò causa unà cum
morbo tollenda erit, quibus sublatis dolor facile tollitur. Igitur in
curatione hæ intentiones ordine erunt: primò materiam ipsam apè
preparare & legitimè euacuare: secundò omnibus modis humorum
influxum ab articulis auertere, reuellentibus, deriuantibus, intercipi-
entibus, habita semper ratione materiae peccantis & membri man-
dantis, quæ caput potissimum uideretur. Nam alia remedia conue-
niunt Arthritidi à sanguine, alia à bile, alia à pituita: alia euacuan-
tia & auerrentia ubi pars mandans est cerebrum, alia ubi iecur.*

Tertiò

Indicatio-
nes curati-
uæ.



Tertiò ratione partis affecta, dum humor influit, intentio semper est repellere nisi in coxendicum doloribus aut malignis febribus. Tandem cessante influxu humoris discutere & dissipare. Verum cum dolor plerunq; ita urgeat, ut vires prosternat, cogimur his intentionibus omisissis extrà ordinem dolorem ante omnia lenire & mitigare, ut dolore mitigato iuta curationis ratio facilius perfici queat. Pro preservatione autem Medici officium erit articulos roborare, & causas omnes externas & internas materiam gignentes & moventes auferre, partiq; mandanti ac toti corpori prospicere.

42. Materia auxiliorum triplex est: Diata, chirurgia, Medicamenta. Diata autem quæ consistit in cura sex rerum non naturalium, morbo causaq; morbifica semper contraria esse debet. In omni autem Arthritide tenuior, salubrisq; victus ratio convenit. Caput autem salubris diata est, non satiari cibus & ad labores impigrum esse. Verum in paroxysmo circa initia fluxionis quies convenit: post fluxionem exercitium, potissimum ante cibos. Fugienda autem sunt aeris inæqualitas, crapula, repletio, cibus mali succi, ut legumina, fructus horarij, &c. ac quæ proprietate caput perunt. Fugienda quoq; ira, tristitia, omnesq; vehementes perturbationes animi, motus vehementes, balneationes à cibo, somnus meridianus, decubitus supinus, Veneris & vini immoderatus usus, alui & consueta evacuationis suppressio. Vinum autem penitus circumcidendum est, aut in paroxysmo potissimum, nisi consuetudo omninò requirat. Nam testatur Aëtius, multos cum à vino prorsus abstinerent, arthritidem amplius expertos non fuisse. Damnat Arnoldus esum lactantis porcelli, veterum gallinarum, anguillarum, auium fluviatilium, & similium: Item castanearum, lactis &c. Excrementa alui quotidie aut natura aut arte deponantur.

43. Peculiariter autem, si Arthritidis à copia sanguinis, utatur cibus pauci nutrimenti leuiterq; infrigidantibus; abstineat ab ijs quæ copiosum sanguinem gignunt. Si ex redundantia pituitæ: aer sit calidior siccior, diata tenuis, & si fieri queat, inedia aut fame per aliquot dies utendum, præcipuè in corporibus carnem humidam habenti-

bentibus, nam fames corpora exsiccat: ventriculi & cerebri ratio habenda. Si ex redundantia bilis, victus sit refrigerans, humectans, cauendum ab ira, inedia & vino potissimum, somnus & quies imperanda, utatur decocto prisanæ aut hordei. Cetera breuitatis causa omitto.

44. Curatio autem cum præseruatione quadam coniuncta est. Nam præcautio debetur non solum morbo futuro, de quo ultimo loco dicemus: sed etiam in initio morbi, ad incrementum eius prohibendum. Oportet enim in doloribus Arthriticis non modò ipsum affectum iam genitum tollere: sed ne augeatur nouo materia fluxu ante omnia providere. Igitur congestus humor in corpore rite euacuandus erit. Deinde omnibus modis ab articulis affectis auerzendus. Euacuantiæ Euacuatur autem & aueritur pro natura humoris peccantis; pro constitutione ægri, & pro situ partis affectæ. Nam plethora omnisq; sanguinis redundantia phlebotomia; cacochymia verò purgatione euacuatur. Laudatur vena sectio ineunte vere aut autumno potissimum, non solum curationis, sed etiam præseruationis gratia; Et gloriatur Galenus se multos ab Arthritide præseruasse sola phlebotomia ineunte vere. Verùm qui frequenter arthritide corripiuntur, plus noxæ quam auxiliij sentiunt, ex sanguinis detractio-
ne; potissimum verò qui corpore imbecillo & frigido sunt. Deinde Auicenna vrgentibus doloribus sectionem vena improbat, licet Aëtius cum Gal. inter præstantissima remedia ponat. Nonnulli phlebotomia & validis purgationibus dolores magis exacerbari putant, quia humores commouent, fluxionesq; augent.

45. Quare ante paroxysmum consultissimum videtur magnis illis remedijs corpus euacuare. Nihilominus si venienti morbo prouisum non sit, alienum non erit, sed planè necessarium, plethoram vena sectione, cacochymiam purgatione euacuare. Secantur quidem in plethora vena brachij: Verùm ut cum euacuatione reuulsio fiat, Phlebotomia. & à parte affecta sanguis auertatur: satius erit, si dolor pedes aut genua infestarit, ex brachij venis euacuationem potissimum institue-
re: si



re: si manus, cubitum, aut humerum, ex crurum aut pedis venis. Sin
adsit totius corporis plenitudo, ad totius euacuationem primo ex cu-
biti vena sanguis extrahatur, premissio lenitio, si necessitas exigat.
Deinde inferiores vena secanda erunt. Laudatur in Ischiade ex
sanguinis copia non tam reuulsio, quam deriuatio gratia, se-
ctio venarum, poplitis, aut tali. Et testatur Gal. se Ischiadem vno
die curasse facta euacuatione ex vena crurum.

Purgatio. 46. Si malum ex cacochymia: purgatio instituat pro natura
humoris peccantis, & situ partis affecta, nisi consuetudo, natura &c.
prohibeant. Nam in ijs, qui doloribus manuum, cubiti aut humeri
infestantur purgationes per aluum magis conueniunt. In podagra,
Gonagra & Ischiade magis per superiora. Ita enim reuulsio cum euacu-
atione perficitur, & humor à parte affecta auertitur. In doloribus
omnium articulorum vtraq; euacuatio conducere potest. Sed ea po-
tissimum eligenda, qua facilior, familiariorq; est. Verum si natura
& consuetudo purgationes per superiora non ferat, per inferiora eua-
cuare oportet. Laudantur clysteres potissimum in Ischiade. Nam
non raro solis clysteribus nonnulli curati fuerunt. Sed in Ischiade in-
cipiendum à leuioribus, hinc procedendum ad acres, vt decoctum
centaur. minoris, colocynth. &c. precipue si humores crassi, viscosi
aut condensati sint: sed cauendum ne intestina crebro usu acrium
ladantur, & dysenteria consequatur. Quare tutius erit ad validissi-
ma clysmata non transire: sed premissis preparantibus per os purgan-
tia exhibere.

Præparan- 47. Si Arthritis ex materia biliosa: preparatur Syrup. è Cichorio.
tia. Viol. Acerosa, Nymph. & similibus. Si ex Melancholia: Syr. de pomis,
buglossi, fumar. &c. Si à pituita: Syr. betonica, Stæchad. Cortic. ci-
tri, Melle rosarum, decocto Chamæpityos, saluia, Stæchad. Anthos, &
si materia crassa, viscosa, additis rad. aperientibus, Aristoloch. Iride,
centaur. minore, gentiana, ligno sancto, oxymelite & similibus.

48. Deinde bilem ab articulis purgant elect. rosar. solut. Dia-
carth. Pil. aurea, de hermodactylis minoribus & similia. Verum,
quia



quia validè purgantia calidos humores facile commouent, fluxionesq̄
augent, tutius putatur in paroxysmo materiam per vices leuibus
pharmacis subducere, vt infuso Rhabarb. in decocto Myrob. citrinor.
Tamarind. polypodij, Cichorei, cum Syr. ros. sol. manna, Elect. diaca-
tholic. aliquando cum Elect. ros. sol. Deinde reliquum materia par-
tium urinis partim sudoribus excludere. Quando cum alijs humori-
bus redundat Melancholia purgatur pil. cochys cum Helleboro &c.

49. Materia verò pituitosa ab articulis euacuatur Hermoda-
ctylis, Agarico, Turbit, aliquando Colocynth. additis quæ simul te-
nues humores ducunt, diacrydio & Rhab. quia tenues humores,
crassos secum vehunt. Verùm ubi materia crassa viscidaq̄ est, dili-
genter cauendum ne relictis crassis, tenues humores solum euacuentur.
Laudantur Syr. de spina ceruina, Pil. Arithetica, de hermodactylis
maioribus, Diacaryocostinum, Pil. Chamap. Item ubi materia vis-
cida & crassa Pil. de Nitro Alexandri, Pil. Fœtida, de sagapeno, Hi-
era Diacolocynth. &c.

50. Semper tamen à leuioribus incipiendum, & premisis inci-
dentibus & attenuantibus, ad validiora procedendum, si vires ferant.
Quod si non ferant, & virtus ventriculi & intestinorum satis fir-
ma non sit, à validis temperandum erit. Clysteribus audacius uten-
dum reuulsionis gratia, quando à capite articuli pituitosa influxio-
ne infestantur: quemadmodum vomitu à cibo potissimum, quando in-
feriores partes. Post purgationes semper ventriculus roborandus est.

Verùm ubi malum ortum esse videtur ex suppressis menstruis, hamor-
rhoidib. aut vlla alia consueta euacuatione suppressa, ea si fieri queat
initio procuranda erit. Si defluxus à capite per spinam sit: auersio-
nes fiant per errhina, & masticatoria, quæ materiam à spina ad na-
res & os conuertunt, quod circa pericraniū collectum est discutiendū.

51. Purgato corpore, quod reliquum est materiae peccantis, su-
doribus potiss. excludendum erit. In causa calida laudatur decoctum
salsa parilla, aut Rad. China & Tormentilla cum Cichoraceis Gly-
cyrrh. &c. In frigida, decoctum ligni aut sarsæ parilla, cum appropri-

Particula-
res euacu-
ationes.

Sudorifera



Antidota. *atis. Sarsafras verò à nonnullis improbat, quod humores omnes ad articulos propellere videatur. Post sufficientes euacuationes in pituitosa arthritide potiss. commendantur à Gal. Theriaca & Mithridat. ab Alexand. & Paulo Diacorallium, compositio Atactos, item procli & Agapeti compositio. Addunt recentiores nonnulli speciebus diacorallij Sal. Chamæpit. Sambuci aut Absynthij. Laudant quoque pulverem ossium combustorum præcipuè humanorum cum pulu. Chamæp. & c. unde puluis Saracenicus: item Pil. ex Terebinth. lota cum aqua salvia, addito pulu. Chamæp. Stæch. & similib. Vbi materia rebellis, dolorque diuturnus est, per 40. dies usus decocti ligni multis profuit.*

Topica.

52. *Hactenus de præseruatione quæ debetur in principio morbi potissimum ad incrementum prohibendum: sequitur curatio morbi iam facti, à materia articulos obruente, continuum soluente, qui non tollitur, nisi sublata materia. Materia autem obruens articulos, si nondum impacta sit, tollitur dum remeare cogitur deriuantibus & repellentibus. Si impacta discutientibus potiss. item emollientibus & euocantibus. Quorum omnium usus sit purgato corpore. Deriuantia autem materiam magis remeare cogunt à parte affecta, quam repellentia. Est enim deriuatio auersio humoris ad partes vicinas vel non ad modum distantes: Et perficitur sine euacuatione, nimirum frictionibus, cucurbitulis, sinapismis, vel cum euacuatione manifesta, ut in Ischiade sectio vena poplitis aut tali, scarificatio crurum aut malleoli, item cauterijs prope partem affectam.*

Repellentia.

53. *Repellentia verò articulis imposita humorem nondum impactum exprimunt, & robur articulis conciliant, ne promtè affluxum recipiant. Conueniunt potiss. vbi fluxio à materia calida est in manibus & pedibus: non in Ischiade, nec in Arthritide critica, nec etiam vbi materia crassa & viscida est, ne magis crassescat. Tempus opportunum repellentium, quandiu materia in fluxu est, non tamen ante purgationem debitam, nec postquam impacta est & fluere desit.*

54. *Materia repellentium varia est pro varietate humorum peccantium. Nam in Arthritide calida Oxyrrhodino partes irrigare conue-*

conuenit, aut spongia posca imbuta, precipuè si doloris causa in alto
herere videatur. Sin in superficie magis, oleo rosarum cum vino
astringente, aut cum albumine oui conquassato. Fiunt etiam repe-
lencia ex oleo myrtino, succis semperuini, portulacæ, plantaginis,
prunis siluestribus, ex cotoneis, malis punicis rhœe & similib. inter-
dum addita farina hordei aut mica panis cum vino astringente vel
aceto. Laudat Gal. in omni fluxu, diapalma. Alij in fluxu calidorum
humorum Bolum Armenum dissolutum in vino astringente. Sed va-
lidis repellentibus aliquantulum supra partem affectam commodius
vrimur, ut fluxus ad articulum intercipiatur, viq; claudantur.
Nam ipsi parti affecta tumida, valde repellentia adhibere non conue-
nit, ne materia concreseat: sed mitigantia modiceq; reprimentia. To-
pica autem omnia hyeme adhuc calida, æstate modicè tepida adhi-
benda erunt, & subinde mutanda, priusquam à parte calefiant.

55. In arthritide à materia frigida conueniunt quæ sine vlla fri-
gidityte reprimunt, ut fol. Terebinth. myrti, Rhamni, brassica, item
fol. & nuces cupressi, rad. Cyperi. &c. Cum adipe suillo, rosaceo, &c.
ut docet Aëtius, cum farina hordei, lini, fabar. croco, & quæ dolorem
sistunt aut simul discutunt. Nam ubi dolor urget, cogimur ei pri-
mo occurrere. Sed si materia in fluxu sit: astringentia miscere. Si
impacta: discutientia. Verum non raro repellentia sua frigiditate
dolorem tollunt, & quedam discutientia anodyna quoq; sunt. Tolli-
tur enim dolor dupliciter: primò Narcoticis, quæ sua frigiditate par-
tibus sensum adimunt, qualia sunt opium, mandragora, hyoscy-
mus &c. Secundò anodynis, quæ partes relaxant & materiam cau-
sam doloris tollunt: ut althæa chamom. melilot. sem. lini, fœnogra-
ci, lac, olea adipēs &c.

56. Narcoticorum vsus temerè tentandus non est, presertim
quando dolor latentes articulos occupat, quales sunt, coxendicis aut
humeri, aut ubi materia frigida, crassaue est. Nam stupefacienti-
bus impingitur & congelatur. Nihilominus si dolor vehementer ur-
geat, conceduntur stupefacientia interdum intrà, ut Philonium, La-
danum



danum opiatum, plerunq³ extra, sed parce minoriq³ quantitate. Celebratur à Galeno & Aetio Epithema Asclepiadis & pastilli; à Paulo, medicamentum ex opio, croco, glaucio pane & posca &c. A recentioribus varia concinnantur ex opio cum croco, lacte, ol. ros. medulla panis, ungu. popul. mucilag. psyll. &c. Itidem cataplasmata ex hyosc. mandrag. psyll. verbasco, adipib. farina hordei, lini, rosac. croco &c. Verùm à liberali usu, validè stupefacientium cauendum erit; & statim remisso dolore remouenda; & pars fouenda decocto Alth. Chamom. Iua &c. unguenda ungu. althæ, ol. aneth. irino, lumbricor. &c. corpus calefaciendum, sudor prouocandus.

56. Anodyna verò quæ partes relaxant, necessaria videntur: tamen quia ad suscipiendam materiam influentem partes aptiores reddunt, dum humor adhuc influit, à validè relaxantibus temperandum: præcipuè ab unctuosiss & pinguib. si adsit cum dolore, vehemens calor. Celebrant nonnulli in arthritide calida aquam spermatis ranarum. In doloribus tollendis & materia discutienda, mucilaginem fanogr. cum oxycr. & melle. Auicenna stercus vaccæ adhuc calens aut frixum cum ol. chamom. & vulpino. Alij oleum, ungu. & emplast. ranarum &c. ubi cetera non iuuant in frigida arthritide Emplast. de vigo cum Mercurio.

Discutientia.

57. Verùm cessante influxu materiam impactam discutere & euocare oportet, ac simul, si quid induratum emollire, factò initio à leuioribus. In materia calida tenuiq³, modice concoquentibus & digerentibus insistendum, ex chamom. althea sem. lini, fanogr. &c. ol. chamom. lumbric. Vbi frigida, ab his procedendo ad validiora discutientia, & emollientia. Discutientia autem ex Iua, salu. Roremar. Maiorana, serpillo, hyssopo, bacc. lauri, Iuniperi, farina lupinorum, erui, stercore bubulo & caprino, ol. vulpino, Irino, Nardino, Laurino, Costino &c. cum vino, spiritu vini, oxymel. &c. Emolliunt ac nonnihil discutunt medicamenta ex ficub. rad. Ebuli, Iridis, Bryonia, ex Ammoniaco, Bdellio: ex medullis Axung. & similibus. Ex his varia compositiones fiunt vt fomenta, linimenta, cataplasmata, emplastra,

Emollientia.

stra, veluti Emplast. Diachyl. Ireatum, de Melil. oxycroceum. Vng. Martiat. Aregon, Agrippa &c. Conueniunt sub finem balnea sulphurea, nitrosa, bituminosa, & ex herbis discutientib. sudorem euocantib.

57. Tandem ab his ad acria ascendendum erit (præcipuè in Ischiadicis) ex Calamintha, Nasturtio, Lepidio, sulph. stercore columbino, sinapi, pipere, pyrethro, castoreo, Lap. Asio, Euphorbio &c. ut sunt, sinapismi, medicam. Damocratis ex Lepidio, medic. Heræ & Asclepiad. aliâq; complura, ut præscribit Gal. 10. comp. med. s. l. Aërius Paulus aliq; Laudatur medic. Flauij Clementis 7. comp. med. s. g. Nonnulli ad vesicatoria & cauteria ascendunt, veteres ad ferrum candens, præcipuè in luxationibus à mucoribus superuenientibus, Verùm vni remedio non insistendum: si nullum ex eo iuuamentum perceperit: sed ad alia progrediendum. Si redundarint flatus, permisceantur flatus discutientia, utendum sacculis ex milio, furfure, sale, torrefactis cum sem. anisi, cymini. &c.

58. Postremò ubi tumores partium in nodos sunt conuersi, vehementer emollientibus, modiceq; digerentibus utendum, quale est Empl. Gal. ac Arabum ex caseo, Empl. de Vigo, Malagma Diadori, item Diacinnabareos, Dialepticarion, Medicamentum Erasistrati apud Trall. aliâq; complura.

59. Sublato morbo & discussa materia morbifica in articulis, superest præseruatio, quæ debetur morbo futuro. Ea consistit in remotione causarum. Causæ autem sunt, ut diximus, articulorum imbecillitas, & affluxus materia. Igitur tempore intermissionis, oportet ipsos articulos roborare, ne nouum affluxum recipiant. Deinde ne noua materia gignatur & coaceruetur in corpore præcauere: quæ redundat, euacuare & ab articulis auertere. Articuli autem corroborantur, si fricentur quotidie bis, aut ter sale contrito cum oleo: lauentur lixiuio, aut aqua marina, aut posca, aut vino astringente, in quo decoctæ sunt, salua, Rosmari. ros. rubra, myrtus, stæchas, malicoriû, mastix, galla,

Metasyn-
critica.

Tophos dif-
soluentia.

Præserua-
tio.

Articulos
corrobo-
rantia.



galla, balauftia &c. Laudatur fomentum, ex vinaceis tempore vindemiarum. Caliga & manica ex pelle canis ruffi; Emplast. diachalcit. impositum &c.

60. Generatio & coaceruatio materia inutilis impeditur accommodata victus ratione & medicamentis corroborantibus ventriculum, cerebrum & iecur, ut supra dictum est, habita potissimum ratione partis mandantis. Verum quia errore aliquo in victus ratione, aut debilitate & vitio partium, humores paulatim coaceruantur, primo omnium humor congestus aptis remedijs euacuandus est: ac ab ipsis articulis auertendus, venienti morbo semper prouidendum. Euacuationes potiss. fiant ineunte vere & Autumno, sudores prouocentur mane, Antidota exhibeantur, ceteraq; ut supra monuimus. Commendant nonnulli & in curatione & praeservatione arcana Paracelsi ex vomilio & oleo sanguis hircini. Laudat Aetius Antidotum Philagrii, & Antid. ex cancris; ex centauryis: Item in pituitosis ex hyperico, Tetrapharmacum, & esum carnis viperarum. Mesue Medicamentum Hermetis. Rhalis oleum granorum vesicariae aliq; complura, quae breuitatis causa omitto.

Errata

Thes. 2. Ischiada, pro Ischiaden. Th. 13. nocuum, p noxium, Th. 41. tutam, p totam.

FINIS.



99 A 6903

(Nr. 24)

nicht

(Nr. ~~ausgegeben~~)


(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle

3

002 636 220



VD17

TA-OL




... in adu. Insuper ...
... factu in huiusmodi ...
... adhibuit ad se ...
... obam. Obi noui. fame ...
... pond. noui. quod ...
... mutauit. causa ...
... publica. Iohannes ...
... adu. et diuulgat ...
... in causa. arguunt ...
... cum inuenerit. Et ...
... inquit. Iohanne. & ...
... dicat. et uident. ...
... in. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...

ert adfiffi. Inuonem
O per. are. terra

quid in huiusmodi. omni. melior.
Prigeloferhu. curi. I. in. terra.



estillat
flores
ntur,
omnib
nibus
olenta



16.

DISPUTATIO MEDICA
DE
ARTHRITIDE.

Quam
D. F. E. A. C.

PRAESIDE
DVNCANO LIDDELIO SCOTO
Phil. & Med. D.

ac
in Illustri Iulia professore publico,

in Auditorio maiori,

publicè tueri conabitur

HENRICVS MYLPHORT
Vratislaviens. Sil.

ad XXVII. Maij, hora 6.



HELMÆSTADII,
Ex officina Typographica Iacobi Lucij.
Anno CIC. IC. CI.

